



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

Cap. I. An per separationem à corpore aliquid acquirat, vel amittat anima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)



E L E N C H V S

CAPITV M LIBRI SEXTI.

- CAP. I. **A**N per separationem à corpore aliquid acquirat, vel amittat anima.
 II. Quomodo anima separata sit in loco, & moveatur.
 III. Quæ potentia species, & habitus moveant in anima separata.
 IV. An anima separata habeat solas species, quas hic acquisiuit.
 V. An & quomodo anima separata se cognoscat.
 VI. Quomodo Deum, & alias substantias separatas.
 VII. An, & quomodo res materiales.
 VIII. An anima separata perfectius intelligat quàm coniuncta.
 IX. An in corpore, an potius extra illud anima sit magis conuoluta.
 X. An anima separata appetat reuniri corpori.

LIBER SEXTVS.

DE STATV AMINÆ
SEPARATÆ.

De his, quæ ad essentiam Animæ, & illius proprietates pertinent, in libris absolutis dixi: nunc superest tantum de statu, quem anima nostra habebit post recessum à corpore, quæ disceptatio in sola illa loci habet, quia sola immortalis est: de qua re Aristoteles nihil scripsit, non tamen ideo res hæc aliena censenda est ab hoc tractatu, quoniam vere pertinet ad perfectam notitiam habendam de anima nostra, & ideo S. Thomas i. p. in fine tractationis de Anima, hanc etiam materiam disputauit quæst. 29.

CAPVT I.

Vtrum anima per separationem aliquid substantiale acquirat, vel amittat.

DE substantia animæ separata: ferè nihil dicendum superest, cum eadem numero sit anima, quæ in corpore erat, & separata manet: eiusdem ergo substantiæ erit in utroque statu, de se enim ad viuificandum quidem corpus est ordinata, non tamen de essentia eius est, quod actu viuificet. Sed licet hoc sit verum quod ad essentiam attinet, dubium tamen superest, Vtrum quoad aliquid substantiale mutetur per separationem, & difficultas consistere potest in duobus, scilicet in existentia, & substantia, seu personalitate faciem partiali. Ac de existentia certum est, quod conseruet eandem, quam habebat in corpore, si enim illam amitteret, corrumpetur: tum etiam, quia idem est esse existentie eam essentia. Vtrum vero esse, quod anima separata retinet, sit idem cum esse totius hominis, alia difficultas est supra definita lib. i. cap. 12. Tantum ergo restat difficultas de personalitate, quam tangit Caiet. 3. p. q. 6. art. 3. ac putat animam post separationem esse semipersonam, quod antea

non vendicabat: & licet obscure loquatur, mens illius hæc videtur esse: ponit scilicet in natura humana præter corpus, & existentiam, quandam aliam entitatem, quæ personalitas dicitur, à qua natura habet quod subsistat, & quia dum homo viuit, vnicum est subsistens, ideo ait, anima dum est in corpore non subsistit, nec propria personalitate terminatur. At vero, cum primum separatur, incipit subsistere, resultatque propria entitas per quam terminatur: inde ergo habet quodammodo rationem personæ, quia tamen natura completa non est, sed pars, sentiens personam merito dicitur, in corpore vero, quia non subsistebat, sentiens persona non erat, addit tamen Caiet. in resurrectione, cum anima reuietur corpori euasuram subsistentem, & semipersonam: sed non explicat distincte Caietan. vtrum ne entitas, per quam anima subsistit, & semipersonatur, sit distincta à personalitate totius, insinuat tamen distinctam esse.

Hæc sententia in multis displicet. Ac suppono primo, animam nostram etiam in corpore subsistere, partiali subsistentia spiritali, quæ illi identificatur: subsistere etiam materiam partialiter, vtrumque vero alibi ostendimus. Et ratio obiter est: quia anima etiam dum est in corpore existit per se non sustentata ab alio: hæc nimirum est differentia inter homines, & reliqua viuentia, quod in alijs eorum animæ non subsistant, sed affectiones quædam sint materiæ affixæ. Vnde subsistentia illorum viuentium in materia potissimè fundatur, & inchoatur, completur vero per actuationem formæ. At in rationali composito licet quod præcipue subsistit sit homo, tamè subsistentia hæc præcipue obuenerit ratione animæ, quæ vnitur corpori, non ut sustineatur ab illo, sed potius ut utatur illo, ut instrumeto coniuncto: subsistere enim tantum est per se, & independentem ab alio sustentante existeret: & hinc fit, ut subsistentia hominis perfectior sit, quàm aliorum compositorum: hæc enim completur ex duabus partibus subsistentibus, illorum vero, minimè. Hoc supposito, sit conclusio.

5 4 Anima

Anima separata, & coniuncta eandem substantiam sentiat Caiet.

Notatio præ vera viuentia. Habetur in disp. 14. Metaph. sect. 5. a. num. 27.

3
Conclusio
probat
multiplici-
ter.

Anima separata eandem habet substantentiam, quam habebat in corpore, nec per separationem mutat entitatem, sed tantum modum essendi. Probatur primo: quia superflua est illa variatio entitatum. Secundo: quia anima etiam in corpore per propriam entitatem, licet incompletam, existit, ut posuimus, separata vero multo minus substantiatur a corpore: ergo in utroque statu manet cum eadem substantiâ. Deinde, quod nullam entitatem amittat, probatur: quia in animæ substantia non est alia entitas præter ipsam animam (corpus enim, & omnia alia pertinent ad modum essendi, nos autem de entitate substantiæ loquimur) anima verò non amittit propriam entitatem: quia est incorruptibilis: ergo, &c. Item anima per separationem non amittit entitatem essentiae, alias corrumpereetur: neque existentia, tum quia hæc distincta non est ab essentia, tum quia similitur corrumpereetur: essentia namque idem est, atque existentia, perdere: neque amittit entitatem personalitatis, quia distincta à natura non est: realiter: quin etiam licet distincta esset talis entitas, in homine planè spiritualis esset: siquidè primo deberet convenire animæ, & ab illa communicari corpori, sicut de existentia philosophatur D. Thomas, de quo alibi: esset ergo independents à corpore, sicut anima ipsa: ergo maneret in anima separata: nulla est ergo entitas substantiæ, quam anima perdat, cum separatur. Quod verò nullam acquirat, patet eisdem rationibus, neque enim acquirit entitatem essentia, neque existentia, neque personalitatis: solum ergo variat modum essendi, scilicet informationem: antè enim informabatur, & communicabatur se corpori, cui erat unita, postea vero caret tali modo essendi: mutat ergo modum

4.
I. Corollar
ex dictis.

Ex quo deducitur primò, dictam mutationem non esse ab vno modo posituum in aliam, sed in priuationem illius. Nam animam esse corpori vnitam, posituum modum importat, scilicet in formationem, seu vniorem: separari vero non est nouum modum acquirere, maxime enim acquireret subsistentia, hanc tamen non acquirit anima, quia iam in corpore illam habebat: separatio ergo tantum priuat modum quem anima antea habebat. Et confirmatur, nam si agens impediatur ab actione, non acquirit modum posituum, sed caret causalitate, ita verò est in anima: separari enim nihil est, quàm ab illa remoueri causalitatem formalem circa corpus. Declaratur amplius: nam anima separatur per corruptionem hominis, corruptio verò nihil adest, sed potius aufert: ergo anima in corruptione hominis positum aliquo priuat, neque posituum aliud acquirit.

5.
2. Corollar
de quo sup.
lib. 1. c. 12.

Deducitur secundò, animam separatam non magis esse personam, quam unitam, & ideo vtro-
bique dici posse femipersonam. Probatnr primò:
quia ratio personæ tantum per positum com-
pletur, vt tradimus in Metaphysica, sed anima per
separationem solum habet negationem nouam:
ergo non magis est persona quam antea. Secundo,
anima in corpore, & extra illud est subsistens Com-
municabiliter respectu corporis, incommunica-
biliter versù respectu inferiorem, hoc tantum dif-
ferens, quòd actu se communicet, vel non commu-
nicet, quòd non variat rationem femipersonæ: di-
citur autem femipersona, tum quia est tantum
pars naturæ, cum tamen de ratione personæ sit, vt
connaturalis sit terminus naturæ integræ, in di-
uiduæ scilicet substantiæ: tum quia non est omnino
incommunicabilis, quòd tamen de ratione perso-
næ esse, notissimum est, cum oporteat esse integ-
rum suppositum.

6.
3. Corollar.

Ex quo deducitur ultimò. Si anima post separationem corpori uniatur, minimè comparaturam alium modum essendi, quàm eum quem nunc

quoad substantiam suam habet, reunietur siquidem per veram informationem, & ita acquirit modum essendi, quem nunc vnitahabet, quemque per separationem amiserat: non ergo est, in quo differre possit, nec contra hoc asserti Cae-
tanae argumenta vlla: solumque arguet quispiam, sequi in morte hominis omnino nihil corrupti, occurrendum verò corrupti hominem, atque in re tantum destrui realem unionem inter animam, & corpus.

CAPVT II.

*Quomodo anima separata sit in loco,
& moveatur.*

Quando de substantia animæ separatæ dictum
est, agendum sequebatur de conditione illius
status, an scilicet naturalis ei sit, vel violentus, quia
tamen hoc pendet ex multis, quæ in sequentibus
tractanda sunt; commodius de hoc agetur in fine
libri: nunc antequam deueniamus ad potentias,
& actus animæ separatæ, dicendum de motu il-
lius, & existentia in loco, videtur enim non posse
in loco existere. Ratio enim essendi in loco est qua-
ntitas, anima verò quantitate caret: similiquera-
tione videtur non posse moueri localiter, quia mo-
tus localis existentiam in loco supponit, & ad il-
lum tendit: de alijs autem motibus nutritionis
accretionis, &c. certum est eos non cõuenire ani-
mæ separatæ: ergo, &c. In contrarium etiam, quia di-
cimus animas esse in celo: aut inferno, per quod
significamus eas in loco existere, & cum separan-
tibus corpore, ad illa loca moueri credimus, imò
fides docet, animam Christi descendisse ad infer-
os.

Notandum primò locum in rigore philosopho-
rum pertinere ad substantias quantitate præ-
tatas, & ideo cômune axioma sapientum esse, incor-
porea in loco non esse. Atenim quia esse sic, vel ali-
bi tribuitur etiam spiritualibus substantijs, meri-
tò queritur, quidnam in illis hoc significet, quod
licet non sit eiusdem rationis cum vbi corpora-
lium, sit tamen aliquid illi proportionale.

Notandum est secundo, animam separatam naturaliter loquendo foriuri non posse circa corpore actionem, aut passionem villam, quia cum spiritualis sit à corporibus pati non potest: cum verò sit pars compositi, & imperfectum quippiã actionem circa corpora exercere non valet, si quoniam, localem maximè motionem ederet, hanc verò non posse offenditur, quia spiritualis res non potest mouere corporalem, nisi, aut informando illam, aut quasi exterius impellendo. Primo quidem modo corpus nostrum mouet quod anima, quocertè modo non potest mouere quiddam, quando separata existit, cum nihil informat. Secundo modo mouent planè Angeli corpora, non verò anima, quia ad actiones merè externas, qualis est motus in rem alteram, non nisi medio corpore, quasi exteriori instrumento potest exire, cum naturalis in æterna sit forma corporis. Dixi naturaliter, quoniam superna natura potest anima à corpore pati, ut apud inferos: potest etiam mouere corpus, ut anima Moylis Mat. 17. corpus assumptum sit, & in illo loquebatur in transfiguratione, ut docet D. Thomas, 3. p. q. 54. a. 3. & Abulen. Mat. 17. q. 54. & 55. D. Gregor. 4. Dialogorum, referens plerasque animas apparuisse, locutafque fuisse in corporibus, quod diuina virtute fecisse, & non naturaliter, docet D. Thomas supra, & 1. p. q. 110. a. 3. & q. 117. art. 4. Vnde falsus est Ægidius quodlibet 4. q. 7. tribuens animas separatæ virtutem naturalem ad mouendum corpora.

His positis sit prima conclusio. Concedendum aliquo

SVAREZ
de Angelis, opera
nr 6, di rum, et
apud .

D. V. 2.